

Beiheft.

S. 63

1227 Mai 26 Breden.

[10 63]

Das Küsteramt des Stifts Breden verkauft ein Erbe.

In nomine sancte et invide Trinitatis, amen. Omnia, que geruntur in tempore, delet vetustas temporis, nisi scripti memoria perennentur. Sciant igitur tam presentes quam posteri, quod Alabrandus maritus Wikburgis comparavit sibi et suis heredibus et suis posteris seu pertinentibus custodie in Vredhena domum in Rodhe Sutwardine pertinentem custodie nostre Vredhensi censuale tres solidos solventem Davantriensem (!) ab heredibus, qui prius hanc domum possegerant a custodia, scilicet Rotghero et Wenneken sua uxore et suis heredibus Wikburga et Lutburga, pro marcis quatuor presente me abbatissa Yda et presente custode Regewiza et omni conventu in Vreden infra limina beate Felicitatis presente Lefhardo officiario custod[is] et aliis custodie pertinentibus Herewico, Wigardo, Hermanno, Johanne, Jacobo, Emelrico et multis aliis. Hec emptio postea confirmata fuit Lenbeke coram civibus in curte domini Adolphi, quibus Alabrandus dedit

quatuor denarios pro testimonio ad bibendum, quorum unus fuit Hezzel, Lutbert, item Lutbert, Gotsvin, Rutger, Engelbert, Heinric, Bernart; item Bernart, item Bernart, Lefhart officiarius custodis et suus filius Antonius et multi ali cum civibus. Igitur ne qua possit oriri calumpnia huic ordinationi contraria, decretum fuit ab utraque parte hanc vendicionem commendari litteris et sigillorum testimonio roborari. Actum publice coram ecclesia Vredhena astante et et (!) consentiente me abbatissa Yda, Gerberga preposita, custode Regewiza, officiaria Gerberga, decana Gisla et dominabus Felicitate, Lysa, Ermentrud, Ermengard, Lutgard et omni conventu commendatum privilegio dato per manum nostri notarii, ubi heredes resignaverunt bona custodi Regewizze et omni suo iuri, quod habebant in his bonis, que custos per sententiam concessit Alabrandus et sue uxori Wigburgi et suis posteris VII^o Kal. Junii, feria IIII^a, papa Honorio, imperatore Frederico, archiepiscopo Engelberto, episcopo Monasteriensi Theoderico, me Yda abbatis, regnante Jesu Christo anno¹⁾ gratie M^oCC^oXXVII^o.

Orig. Siegelfest an rotseidenen Fäden; Lade 217, 1, Nr. 5.